



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Catechesis Pverilis**

**Melanchthon, Philipp**

**Lipsiae, 1543**

**VD16 M 2628**

Quae sunt parentum, magistratum, & aliorum gubernatorum officia?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-33561**

quiens Matth. 22. **S**ecundum autem **S**IMILE  
**H**VIC, Dilige proximum sicut teipsum. **C**on-  
sideranda est enim **E**mphasis in uerbo simile.  
**H**aud dubie taxabat opinionem **H**ypocritarum,  
qui se efferebant propter **C**eremonias, & leuius  
sentiebant de ciuilibus officijs, qualis arrogantia  
nunc quoque in **M**onachis est, & cæteris qui ma-  
gno precio **M**issas uendunt. **A**t **C**hristus mon-  
strat ueros cultus, omnes fatebantur primum  
præceptum concionari de cultibus **D**eï. **H**ic ad-  
dit **C**hristus, simile esse præceptum de dilectione  
proximi. **E**rgo **D**eus non minus uult coli officijs  
secundæ tabulæ quàm primæ. **H**æc uox **C**hristi  
excusitet nos, ut maiori studio hæc ciuilia officia  
præstemus, quia inquit, hoc mandatum simile est  
alteri, docet flagitari hæc officia, & placere  
**D**eo, non minus quàm ea, quæ continet prima ta-  
bula. **S**ed intueri **D**eum debent ac referri ad eius  
gloriam ut dictum est.

**Q**uæ sunt parentum, magi-  
stratum, & alicorum gu-  
bernatorum officia?

**M**irum uideri potest cur nominatim ex-  
presserit officium subditorum, cum ui-  
deatur prius fuisse dicendum de officio  
guber-

gubernatoris. **S**ed causa hæc est, quia officium gubernatoris expressum est in ipsis præceptis reliquis prioribus & sequentibus, parentes & magistratus uult esse custodes harum legum, & iuxta has leges regere eos quibus præsunt, curent eos doceri de Deo, & assuefieri ad ueram inuocationem Dei, & ceremonias diuinitus traditas, ali & coherceri ne polluantur cædibus, libidinibus, furtis, mendacijs, Hanc esse summam officij parentum & magistratum facile potest intelligi. Itaque cum lex ipsa esset uox gubernatoris, non fuit opus addere, quid sit faciendum magistratui. **A**c semper tenenda est hæc eruditissima definitio, quæ extat apud Aristotelem, Magistratus est custos legis, ita dicimus parentes esse custodes legis in œconomica disciplina, magistratus publici sunt custodes legis in publica ciuitatis gubernatione, quam tueri oportet supplicijs corporum. **E**t si autem decalogus breues habet sententias, tamen sciendum est ingentem molem negotiorum & operum comprehendere. Paulus etiam breuiter officia parentum complexus est, inquit, **E**ducate filios in doctrina, & castigatione Domini. **T**ria beneficia coniungit, ut aulant, ut erudiant, ut castigent, iuxta doctrinam celestem.

D

De cura

De cura alendi etiam præcipiunt humane leges, & puniunt crudelitatem parentum, qui uelut corui deserunt paruos natos, eosque non alunt. Sed quia homines nascuntur, ut noticia de Deo propagetur & celebretur, ideo non satis est natorum corpora fouere, sed etiam addenda est doctrina, præcipuè tradita à Deo, sicut hic inquit Paulus. Et alibi ait scriptura, Narrate ea filiis uestris. Curent parentes tradi liberis præcipuè doctrinam coelestem de Deo, de lege Dei, de Euangelio ac beneficijs donatis generi humano propter filium Dei, Iesum Christum seruatorem nostrum, de uenturo iudicio, de uita æterna. Deinde etiam tradant aliquam artē uitæ utilem, literas, aut aliam.

Sicut in alio loco hortatur Paulus, ut pij discant artes honestas, ut possit eorum esse usus in gubernatione reipub. & alijs honestis negocijs huius cōmunis uitæ. Ad Titum ultimo, *μανθάνετε τω Θεῷ δεῖ οἱ ἡμέτεροι καλῶν ἔργων ποίσησθε εἰς τὰς ἀναγκαίας χρείας, ἵνα μὴ ὡσπὶ ἀκαρποί.* Discant nostri honestis officijs præesse ad necessarios usus, ne sint inutiles, id est, discant literas, religionis doctrinam, iura, medicinam, aut alias artes laude dignas, exerceant se in militia, ut seruire ecclesiæ & reipubl. possint. Non uult

uult **P**aulus **C**hristianos se abdere in specus, & esse inuilia terre onera, ut monachi olim suo ocio consulebāt et suae tranquillitati, sed uult nos suscipere labores & pericula ad communem societatem hominum iuuandam, quam **D**eus instituit. **I**n his occupationibus luceant fides, confessio, obedientia erga **D**eum, et uera beneuolentia erga ceteros homines. **Q**uomodo potuisset innotescere ac propagari coelestis doctrina, nisi prophetae, apostoli & cetera lumina ecclesiae, gessissent magistratus, adiuuissent ciues, deuinxissent sibi honestos homines pijs officijs? **I**deo iubet disci artes quarum usus uitae communi necessarius est. **E**x his satis intelligi potest, quarum artium doctrinam parentes liberis tradere debeant.

**P**ertinet eadem cura & ad magistratus. **I**ntuantur hi quoq; decalogum, curent proponi ciuibus ueram doctrinam de religione. **R**ecte constituent ecclesias & scholas. **P**uniant **E**picureos, idolorum cultores, defensores impiorum dogmatū, periuros, deditos magicis praestigijs. **P**acem, pudicitiam, facultates, defendant, iudicia execeant, ut caetera praecpta docēt. **N**on occides, nō mœchaberis, non furtum facies, nō dices falsum testimonium. **E**t finis sit pacis, non ut perfrui uoluptatib. homines possint, sed ut doceri ecclesiae,

Dei noticia in terris conseruari, disciplina retineri, & regi mores possint. Hi sunt fines propter quem pax expetenda est, non ut in ocio uoluptates queramus.

Quare & Paulus ad Timotheum de hoc fine concionatur, cum iubet precari pro Magistratibus, ut tranquillam & quietam uitam agamus, in omni pietate & honestate. Curent igitur Magistratus depelli latrocinia, retineant pacem, Ad quos fines? ut conseruentur pietas & honestas, id est, ut doceri ecclesie, institui iuuentus, & mores regi possint.

Nam hæc domestica gubernatio cum satis perse sit negociosa, habet opus pace. Tumultus & trepidationes publicæ impediunt discentes, non possunt conuenire homines certis temporibus. Non possunt magistratus leges de disciplina condere, iudicia exercere, querere idoneos gubernatores, dare stipendia, inspicere operas, publicos redditus et ædificia tueri, nisi sit tranquillitas. Ideo Deus restituit aliquando pacem imperijs, ut interea rursus instaurari ecclesie, scholæ, disciplina, studia, leges, possint. Hæc qui putat sine magnis & uarijs laboribus mediocriter posse perfici, ualde errat. Ideo opus est domestica pace, qua tamen quia homines plerumque abutuntur,

tur, ut est natura hominum prona ad uoluptates & facile abijcit timorem Dei, presertim cum poenae non sunt in conspectu, ideo Deus punit impietatem hominum frequentioribus & atrocioribus bellis ac seditionibus. Hec breuiter de officijs magistratum admonuisse satis sit, quorum summam ita facillime comprehendemus animo, si decalogum intuebamur, & cogitabimus magistratum huius diuinae tabellae custodem esse.

### Cur textus inquit, Honora patrem & matrem?

Honos duo complectitur, **I**nteriorem reuerentiam, & **E**xternam obedientiam.

**S**unt autem obiecta duplicia, persona, ut parentes, magistratus, doctores. **A**lterum obiectum est, ipse ordo politicus diuinitus institutus, qui conseruante Deo legem suam, retinet societatem ciuilem. **E**st enim ordo ille, ipsa legis diuinae in externa disciplina conseruatio. **A**c secundum obiectum prius aspiciatur. **N**on dubium est ordinationi ac legi Dei honorem deberi. **U**t autem haec gratissima uices temporum, diei & noctis, aestatis ac hyemis, & leges motuum caelestium uerè sunt ordinatae à Deo, sic uerè Deus est auctor totius societatis humanae, deuinxit homines

**D** 3 inter